



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Regvlæ Societatis Iesv**

**Angeli, Bernardo d'**

**Romæ, 1616**

Regulæ Scholasticorum Societatis.

---


[urn:nbn:de:hbz:466:1-68329](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68329)



# REGVLAE

## SCHOLASTICORVM

Societatis.

1  Nimi puritatem custodire,  
& rectam in studijs inten-  
tionem habere Scholastici  
nostri conentur; nihil aliud  
in his, quam Diuinam glo-  
riam, & animarum fructum

quærentes; ad hunc enim scopum studia So-  
cietatis diriguntur:& in suis orationibus gra-  
tiam, vt in doctrina proficiant, crebro pe-  
tant.

2 Serio & constanter ad studia animum  
adijciant: vtque cauendum sibi putent, ne  
feruore studiorum intepescat solidarum vir-  
tutum, ac religiosæ vitæ amor, ita sibi vicif-  
sim persuadeant, nihil gratius se Deo factu-  
ros in Collegijs, quam si cum ea intentione,  
de qua dictum est, studijs se diligenter impen-  
dant: & licet nunquam ad exercendam ea,

Q 3 quæ

quæ didicerint, perueniant; illum tamen studendi laborem ex obedientia & caritate, ut par est, susceptum, opus esse magni meriti in conspectu Diuinæ & summæ Maiestatis apud se statuunt.

3 Ijs facultatibus singuli operam dabunt, eosque audient præceptores, quos Superior assignabit.

4 Scholastici in audiendis lectionibus sint assidui, & in eis præuidendis diligētes, & postquam eas audierint, repetendis: in quibus repetitionibus si quid erit, de quo ipsi dubitent, magistrum adeant.

5 Ex lectionibus quæ adnotatu dignæ erunt, in scripta referent, & postea maiori cum ordine digesta, transferant in libros papyraceos, quæ in posterum conseruata uelint.

6 Inter sint Scholastici communibus scholarum etiam externarum, ad quas accedunt, disputationibus; & doctrinæ specimen pariter ac modestiæ præbere curent.

7 Quotidianis disputationibus, ac repetitionibus omnes intersint; & qui disputant, ei qui præest, religiose obediant.

8 Cum ad publicas scholas eundem erit, eant & redeant inuicem associati cum ea modestia interiori, & exteriori, quæ ad sui & aliorum ædificationem conueniat.

9 Eorum colloquia, qui cum Scholasticis

cis

cis externis loquendi facultatem habuerint, sint solum de rebus ad literas, vel ad profectum spiritus pertinentibus, prout ad maiorem Dei gloriam omnibus vtilius fore iudicabitur.

10 Omnes, quidem, sed præcipue humaniorum literarum studiosi, latine loquantur; & memoriæ quod à suis Magistris præscriptum fuerit, commendent; ac stylum in compositionibus diligenter exercent.

11 Ultra duas horas nemo aut legendo, aut scribendo, labori incumbat, quin studium intermittat aliquantulo temporis interuallo. Præscriptam vero à Præfecto diuisionem temporis seruent diligenter vniuersi, nec alijs quam ab eo sibi traditis vtantur libris.

12 Horis priuato studio attributis, qui superioribus facultatibus vacant, domi relegant quæ scripserint in scholis, eaque curent intelligere, & intellecta sic examinent, vt ipsi sibi obijciant, & quæ obiecerint soluant: quæ nequeunt, annotent ad interrogandum vel disputandum.

13 Si Magistros studiorum causa conuenire debent, horam certam à Superiore destinatam habeant, extra quam illorum cubicula sine peculiari facultate non adeant.

Ex Instruct. 6  
pro Schol.  
Dec. 75. S. 17  
Cong. 7.